

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0152


0150

0156

0146

141
regis est, et vocavit eum nomine suo Manus Absalonis. Sed non videtur posse stare, quia nusquam legitur, vallem Josphat et torrentem Cedron fuisse nominatum vallem regis. Et Magister in Speculo Historiali dicit, vallem illam duobus stadiis distare a Jerusalem. Nec titulus ille est erectus, sicut de petra excisus, ut supra fol. 196 B. Sed titulus Absalonis fuit lapis politus, marmor (234 A) erectus. His ergo visis pertransivi torrentem Cedron, et in montem Syon adscendi, et sudore plenus et calore incensus ad prandium veni. Et mirabatur pater Gardianus et fratres, audientes me sine molestia haec loca perlustrasse.

Octava die ante lucem descendи cum fratribus aliquibus ad specum agoniae Christi, de quo dixi fol. 144., et ibi, quia sexta feria erat, Missas de passione Domini celebravimus, quibus finitis in Galilaeam sursum ascendimus. Porro ad partem aquilonarem Galilaeae montis est mons eminens, interjecto grandi intervallo, quatuor stadiis a Jerusalem distans, in quo Salomon aedificavit templum Chamos, idolo Moabitum, et in eodem loco tempore Maccabaeorum aedificatum fuit castrum forte, de quo Jerusalem civitas tempore regiminiis Graecorum et Romanorum fuit multum tribulata. Consequenter ab illo loco descendimus, non quidem directe contra civitatem, sed contra aquilonem, ubi venimus in vallem satis fertilem, arboribus consitam, per quam est via euntibus a Jerusalem in Nazareth, et in processu venitur in villam, in qua beata Virgo et Joseph requirebant puerum Jesum inter cognatos et notos, et eo non invento, regressi sunt in Jerusalem, ut habetur Lucae II. In hac valle venimus in locum ruinarum antiquarum, ubi quandam dicitur stetisse villa Anathot, de qua Jeremias propheta fuit oriundus, qui in utero sanctificatus, de sacerdotali semine natus, puer exorsus est prophetare, et subversionem Jerusalem praedixit et vidi oculis, ut habet Hieronymus in prologo super Jeremiam. Porro idem Hieronymus nominat villam illam Arabath, de distantiis locorum, dicens, ipsum viculum sacerdotum fuisse. Per circuitum enim Jerusalem possidebant sacerdotes viculos et praedia, unde Gethsamini et Bethphage et Nobe et Anathot fuerunt viculi sacerdotum, in quibus nutriebant pecora oblata pro primitiis



Ende

Anfang